

Respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus tollit  
lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu quasi grauis uinculis.  
Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit  
comitem. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit.  
Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant.  
Inueniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo  
terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat uinculis; collecta  
publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.

[...]

VALE